



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Cap. II. Satisfit objectionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

bat : sicut patet in multis locis libri hujus . Sæpe etiam ipsa simpliciter ita dicere solebat : si omnia scribi deberent , quæ a benignissimo Dei corde mihi collata sunt bona , matutinalis libri quantitatem excederent .

Alia bene multa de Sacrosancto Corde Jesu passim in dictis revelationibus tam S. Gertrudis , quam S. Mechtildis reperiuntur ; quæ consulto prætermittimus , tum ut brevitati consulamus : tum quia cœlestes ejusmodi favores , inexpertæ multitudini concedere fortasse minus expediat .

CAPUT II.

Satisfit objectionibus .

QUUM ex hætenus dictis , & ex iis maxime , quæ capite superiori explicata sunt , erui potissimum debeant responsiones ad argumenta contra cultum Cordis Jesu jactari solita ; operæ pretium videtur , dum ea quæ dicta sunt ex recenti lectione adhuc memoriæ hærent , has objectiones dissolvere . Neque enim alius in hoc opusculo locus opportunior occurret , huic muneri faciendi satis . Age igitur oppugnantium rationes excutiamus , earumdemque inanitatem , divino aspirante lumine , ostendamus .

O B J E C T I O I.

Ajebant primo , Cor Jesu rem esse prorsus materialem,

K lem,

lem, adeoque parum idoneam ad solidam fidelium pietatem fovendam, quæ quum esse debeat maxime spiritualis, objecto (hoc scholæ verbo uti liceat) a materia magis discreto indigere videtur.

Verum si huic argumento vis aliqua contra cultum Cordis Jesu insit, illo eodem certe æque impetuntur innumera pietatis officia jam in universa Ecclesia receptissima; quorum nimirum objecta nihilo sunt minus materialia, quam Cor Jesu. Impetitur cultus Corporis & Sanguinis Christi; impetitur cultus plagarum; cultus Crucis; cultus SS. Sudarii; cultus coronæ spinæ; aliarumque sexcentarum ejusmodi rerum, quæ licet corporeæ ac materiales sint, universæ tamen, Ecclesiæ dignæ visæ sunt quæ non modo fidelium pietati colendæ proponerentur; verum etiam ut de earum singulis festi dies solemnibus pompa agerentur. Quæ sane quum ego sæpius considerarem, mirari non desinebam adversariorum attentionem nullam; quid enim, ajebam, vident ipsi celebrari festum Crucis, festum sacratissimæ Sindonis, festum lanceæ, festum spinæ coronæ cum officio & Missa propriis, ab Ecclesia Rom. probatis: imo unius etiam clavi quo sacrum corpus fixum, unius spinæ qua punctum est, festum agi vident: solemnitatem etiam ipsius nominis Jesu, quod mirabilius videri potest, totâ Ecclesiâ celebrari vident; & tamen dum hæc & similia suis passim hauriunt oculis, in dubium vocant, litigant, pugnant, utrum idem honor Cordi Jesu concedi liceat. Hæc posterius credent? hæc sine admiratione audient?

Sed

Sed aliam responsionem accipe objectioni factæ elidendæ magis idoneam; ex qua nimirum apparebit falso illam fictitioque nixam esse fundamento. Immen- sum quippe errant illi, qui in objecto cultus Cordis Jesu nihil vident nisi materiam: quanquam enim ve- rissimum sit ipsum Cor Jesu corporeum principali- ter a nobis coli; attamen ita colendum proponitur, ut ab aliis rebus maxime spiritualibus, quibus intime con- junctum est, minime separetur. Non separatur a perso- na Verbi, per quam ad divinum ordinem evehitur; non ab anima Christi, a qua vitam & sensum obtinet, quæque suam ei nobilitatem ac excellentiam totam quasi infundit & communicat; non ab affectionibus ac virtutibus infiniti pretii, quarum cor verum princi- pium, in sensu prædicto, ac sedes est, & a quibus infi- nitum quoque valorem cor adipiscitur; non ab illis omnibus Spiritus Sancti donis, cœlestibusque gratiæ infusionibus supra memoratis, a quibus sanctitatem immensam participat. Hæc autem omnia cum Cordi Jesu nexu indissolubili conjuncta sint; & ab his ipsis dignitatem, pretium, nobilitatem, sanctitatem, divi- nitatem, omnem denique perfectionem Cor accipiat; prorsus necesse est, ut cultus Cordi adhibitus hæc omnia simul & indivise attingat: adeo ut ex his omnibus si- mul sumtis conflatur unum aliquod totum, quod ve- rum sit & adæquatum objectum cultus, quo de agimus. Hoc autem si verum est, ut sane est, evidentissime se- quitur, objecto illo cultus nostri ita spectato, nihil esse posse seu in terris, seu in Cœlis, nobilius, sanctius,

sublimius, divinius; & quod in præsentia caput est, nihil spiritualius, & a materia pura magis disjunctum, ac dissitum.

O B J E C T I O I I.

Objiciebant secundo in hunc modum: Si cultus peculiaris Cordi Jesu adhibendus sit, festumque proprium in ejus honorem instituendum, quidni idem præstetur honos aliis divinissimi corporis partibus? Cur enim potius isti quam cæteris, quum par pro omnibus videatur esse ratio? Ergo tot erunt jam instituenda festa, quot sunt in sacro corpore diversæ partes: agetur festum pedis, festum manus, festum capitis, frontis, oculorum, oris, &c.... Nec finis erit ejusmodi celebratum instituendarum: quod certe nemo sapiens approbabit.

Hoc fuit quasi palmare contradictorum argumentum; hoc omni occasione insultantes oggerant; hoc telo cultores Cordis Jesu ita percelli putabant, ut ab eis nullo conamine aut repelli, aut eludi posse crederent. Denique hoc unico argumento freti victoriæ securi, prostratos adversarios miserantes aspernabantur. Verum hæc omnia qua veritate, qua soliditate, qua sapientia & prudentia, acta dictaque sint, ex sequentibus animadversionibus planum fiet.

10. Negari nullo pacto potest, infinitum quoddam discrimen esse inter proprietates Cordis Jesu, quæ illius cultum peculiarem suadent; & rationes colendi

lendi quæ ad cæteras sacri corporis partes pertinent: ut ex his quæ toto superiori capite exposita sunt, perspicuum esse confidimus. Hinc fit ut tametsi cæteris partibus cultum deferre non expediret (quod ab adversariis errore delusis, tanquam certum assumi videtur) nullum propterea cultui cordis præjudicium afferretur; quum illius prerogativæ supra reliquas partes sint indubitatae. Eos vero, qui tanta confidentia nos interrogant, cur potius Cordi honorem haberi velimus quam cæteris corporis partibus, facile revincere possumus interrogatione simili: dicant ergo si placet, cur apud omnes nationes, sola natura duce, usus invaluerit, quod si homo aliquis eximie amator, aut beneficus, illustre quoddam amoris sui ac benevolentiae pignus relinquere post mortem velit; is non pedem, non manum, non caput relinquit, sed cor. Interrogamus itaque & nos, cur potius cordi hic honos habeatur quam cæteris corporis partibus? Respondeant adversarii, hujusque differentiae ab omnibus hominibus assertæ rationem afferant: afferent certe simul eam, quam a nobis expostulant Cordis Jesu prærogativam.

20. Notandum diligenter est, vehementer errare adversarios, quum assumere tanquam rem certam videntur, adhibendum non esse cultum peculiarem cæteris corporis Christi partibus. Indubitatum quippe est, singulas divinissimi corporis partes, etiam singillatim sumtas, honore infinito dignas esse; quum infinitæ excellentiæ sint, propter conjunctionem cum verbo. Neque hoc a quoquam sine errore manifesto negari posse

videtur. Fatendum insuper in singulis sacratissimi corporis partibus, præter illam rationem universalem, e conjunctione cum verbo petitam, qua honore infinito in communi dignæ redduntur; peculiarem inesse proprietatem, qua unaquæque pars peculiari quoque veneratione & affectione digna efficitur. Quod ut statim perferentias, optime ac religiose lector, inspice precor animoque perlustra sacrosancti corporis partes singulas. Inspice frontem illam ex una parte maiestate humano-divina refulgentem; ex altera spinea corona redimitam, plurimoque vulnere cruentatam. Inspice divinos illos oculos cœlesti modestia ac gravitate conspicuos, quorum suavitate conspectuum misericordiam ubique spirantium, tot peccatores ad pœnitentiam adducti sunt. Os illud sacrum intueri, ex quo tot oracula, tot cœlestia ad salutem documenta, tot admonitiones, exhortationes, allocutiones, divina vi ac suavitate condita prodire. Aures illas salvatore dignas considera, peccatorum precibus semper pervias, & ad miserorum postulationes exaudiendas unice factas. Manus illas contemplare infinita potestate præditas, divina liberalitate ac munificentia commendabiles, tot patratis miraculis ac prodigiis admirandas, denique tot collatis in homines beneficiis, ac fixuris maxime clavorum amabilissimas. Sacra genua conspice, toties ad Deum tibi placandum in oratione humi fixa. Pedes sanctissimos intueri, tot itineribus, laboribus, defatigationibus ac sævis demum clavorum vulneribus veneratione nostra, amore, amplexibus, ac repetitis osculis dignissimos

mos

mos. Totum denique corpus plagis a planta pedis usque ad verticem pro te conscissum contemplare, & fatere verissimum esse quod diximus, in singulis divini corporis partibus, peculiarem aliquam reperiri rationem, qua fidelium venerationem, admirationem, amorem, miserationem, amplexus, oscula, intimamque viscerum commotionem omnimodis mereantur. At in his certe affectionibus verus interior cultus consistit.

Ergo, inquires, jam singulis sanctissimi corporis partibus cultus adhibendus erit. Id quidem omnino sane, si de cultu privato sermo sit; sed nondum, si de publico. Nam quod ad privatum cultum attinet, eum non modo licitum & honestum esse, sed etiam sanctum & in Ecclesia usurpatum Sanctorum exempla declarant. Quis enim ita peregrinus in rebus spiritualibus sit, qui ignoret animas vitæ interiori deditas in contemplando corpore Christi assidue versari; ejusque diversis partibus venerationem singillatim adhibere solitas: quo in exercitio, & magna se spiritus voluptate frui; & solidum pietatis, amorisque præsertim alimentum reperire testantur. Inde oratio illa D. Bernardi numeris adstricta, melliflui doctoris affectibus plena ad singulas corporis Christi partes; ad pedes, ad manus, ad genua, ad pectus, ad Cor, &c. quæ in operibus illius editis post epistolas collocata reperitur. Inde oratio illa pervulgata, Sancto Ignatio, aliisque familiaris: Anima Christi sanctifica me. Corpus Christi salva me. Sanguis Christi inebria me. Aqua lateris Christi

Christi lava me. &c. Inde aliæ similes affectiones quas passim in operibus & actis Sanctorum reperire est.

Itaque de cultu quidem privato dubitationi locus esse non potest. Sed non continuo inde sequitur, publicum quoque cultum adhibendum esse: non quod singulæ partes corporis Christi dignæ non sint, sunt enim dignissimæ: sed quod ad publicum cultum non sufficit rei dignitas; sed aliæ præterea requiruntur convenientiæ, de quibus judicium ferre penes Ecclesiam est. Illud autem in primis requiritur ut Deus divinam suam voluntatem Ecclesiæ manifestare certa aliqua ratione dignetur; aut privatis revelationibus, aut miraculis patratis, aut indita inspiratione quadam universali: uti semper alias in similibus casibus contigisse, ex Ecclesiasticis historiis certum est.

Igitur, hoc in re nostra diligentissime observandum est: nimirum quum agitur de novo aliquo cultu in Ecclesia generaliter inducendo, non hominum hoc opus esse, sed Spiritus Sancti. Neque putandum, institutionem ejusmodi publicam ac constantem, a cujusvis hominis voluntate aut arbitrio pendere posse. Humanæ hoc certe sapientiæ aut potentiæ non est, sed solius Dei, qui hominum corda solus inflectit; cujusque providentia Ecclesiæ suæ invigilans ac bono consulens, diversa religionis officia, diversis temporibus exoriri facit; ea ratione, eoque tempore prout major sua ipsius gloria, & fidelium utilitas exigunt. Inde effectum est, ut ea pietatis exercitia quæ jam consti-
tuta

tuta videmus, non omnia simul fidelibus proposita sint; sed alia aliis temporibus, citius aut serius, juxta divinam electionem ac beneplacitum.

His præmissis responsionem ad objectionem propositam duobus verbis concludimus: Cor Jesu in cultu nostro aliis Sanctissimi corporis partibus præferimus, tum quia id exigunt prærogativæ & excellentia singularis Sanctissimi Cordis, uti fuscè jam explicatum est: tum præcipue quia sic est voluntas Dei, cujus indicia minime dubia toti jam Ecclesiæ patent; ut constare credimus ex iis quæ libro præcedenti de origine, progressu, ac natura piissimi cultus exposita sunt.

OBJECTIO III.

Opponebant tertio, officium hoc nostrum erga Cor Jesu novitatis redargui: ac præterea multis ac gravibus impugnationibus virorum etiam doctorum ac piorum patuisse: itaque ex hoc duplici capite suspectum esse debere.

Responsio facilis est. Et quidem quod ad novitatem attinet. 1º. Negamus pias erga Cor Jesu affectiones, in quibus interior cultus ac præcipuus consistit, novitatis in simulari posse: ut constat ex testimoniis Sanctorum superius adductis, & constabit adhuc ex iis quæ libro III. dicenda sunt. 2º. Fatemur novam esse rationem Cor Jesu venerandi; quippe quæ cultum publicum inducit, ac certis exercitiis circumscribit: sed ea novitas si justam cultus nostri calumniandi causam præ-

L beat,

beat, eadem certe calumnia inferri potuit omnibus pietatis officiis, quotquot actis retro sæculis in Ecclesia nata sunt: quum nullum sit quod aliquando novum non fuerit, initium enim habuisse necesse est. Ergo ad repudiandum novum aliquem cultum, sola non sufficit novitas; nisi etiam rationibus evincatur, rejiciendum esse aut tanquam pravum, aut frivolum, aut superfluum: quod ut evincatur de cultu Cordis Jesu, non est sane cur timeamus; quum ejus veritas, soliditas, sanctitas, tot jam argumentis demonstrata sit, atque iterum iterumque toto hoc opusculo sit demonstranda.

Jam quod spectat ad impugnationes, hæc reprehensio si alicujus ponderis est, noster hic cultus communem certe habet cum omnibus insignioribus religionis officiis, quæ in Ecclesia extant: quorum nimirum exordia non minoribus contradictionibus patuere. Vidimus supra qua importunitate, qua pervicacia, qua atrocitate, festum Corporis Christi impugnatum fuerit. Scitur quanti S. Bernardino Senensi constiterit institutio cultus Sanctissimi Nominis Jesu. Ac ne inutiliter per singula eamus, constat, omnia divinæ misericordiæ opera ad Ecclesiæ decus animarumque bonum destinata, nunquam sine ingentibus obicibus ac difficultatibus ad exitum esse perducta; eoque graviores & atrociores contradictiones passa esse, quo præstantiora fuerit, Deoque gratiora. Cujus mali, hi duo semper extiterunt fontes præcipui; ex una parte non cessat malus dæmon Dei consiliis obsistere, omnesque contendit nervos tum sua, tum suorum opera, ut bonum omne subvertat

vertat: ex alia parte, ut est hominum ingenium & indoles, necesse est eos, in rebus suo arbitrio relictis, necdum ab Ecclesia definitis, in varias scindi opiniones, sibi que invicem contradicere; ductos videlicet (ut fere contingit) studiis, cogitationibusque contrariis. Itaque neque ex hoc capite exortarum contradictionum, officio huic nostro inferri præjudicium potest. Imo decebat, congruumque omnino erat, ut officium Christo Domino charissimum gratissimumque, hoc quasi contradictionis ac persecutionis signaculo, quo familia opera insignita semper fuere, minime careret.

O B J E C T I O I V.

Quarto denique objiciebatur a nonnullis, hoc officio erga Cor Jesu dividi quodammodo Christum; quum non totus qualis est colatur & adoretur, sed per partes: contra dictum Apostoli: divisus est Christus? sed piget profecto nugis ejusmodi confutandis immorari.

I°. Textus Apostoli inepte admodum adducitur, quum luce meridiana clarius sit, nihil a mente Apostoli esse alienius ejusmodi interpretatione: ut ex simplici loci inspectione cuique evidentissime patebit. Neque minus ineptum ac frivolum est, quod dicitur de divisione Christi: quasi vero magis dividatur Christus per cultum adhibitum ipsius Sanctissimo Cordi, quam per cultum adhibitum ejus carni, corpori, sanguini, nomini, plagis, &c. . . . An forte dividi etiam Christum dicemus, quum varia illius mysteria, aut varii vitæ illius

L 2 status,

status, vel variæ illius virtutes, singulatim coluntur ac celebrantur. Colitur enim a fidelibus infantia Christi, vita ipsius privata, jejunium in deserto, vita apostolica, vita patiens, vita gloriosa. Colitur singillatim natiuitas Christi, Circumcisio, adoratio Magorum, præsentatio in templo, fuga in Ægyptum, passio, resurrectio, Ascensio. Considerantur etiam seorsim ac coluntur Christi virtutes, humilitas, patientia, obedientia, charitas, mansuetudo, &c... An ergo his omnibus exercitiis in Ecclesia communibus dividi Christum dicetur? quid autem in cultu particulari Cordis Christi seorsim ab aliis corporis partibus, minus pium aut religiosum reperiatur; aut cur magis in eo exercitio dividi Christus dicendus sit, ego certe non video; & quantum iudico, nemo sapiens existimabit.

O B J E C T I O V.

Quinto aliqui in rebus theologicis controversiisque scholasticis subtilius versati, varia contra cultum Cordis Jesu jactabant; quæ hîc dissimulanda non sunt, ut ex responsis veritas magis magisque eluceat. Aiebant igitur.

I.

1º. Non solum induci in Ecclesia cultum ac festum novum, jam ex solo novitatis capite reprobrandum; sed talem insuper cultum ac festum induci, quod aliis in Ecclesia receptis, omnino esset dissimile. Nam cultum

tum seu festum partis integralis (qualis est Cor) in supposito vivente ; nullum aliud in Ecclesia celebrari . Præterea alia festa sive communia sive particularia ad Christum pertinentia , omnia in ipsam Christi personam resolvi ; ita ut festum Nativitatis v. g. Circumcisionis, Resurrectionis , Ascensionis , &c. sit vere festum Christi nascentis, circumcisi, resurgentis, ascendentis : similiter festum Crucis, vulnerum, coronæ spineæ , &c. sit festum Christi crucifixi, vulnerati, spinis coronati, &c. hoc vero festum Cordis, quid erit ? an forte festum Christi cordati ?

II.

2º. Ad eandem dissimilitudinem spectare, quod in isto novo cultu Cor Jesu non modo proponitur ut terminus adorationis, verum etiam ut terminus orationis : ita ut in praxi postea tradenda (ut in lib. III. videbitur) orationes & exercitia propria dirigantur ad Cor Jesu ; quasi si ipsum Cor, ipsa esset persona Christi : qui orandi modus videtur contrarius rerum naturis, ac rectæ rationi dictanti, solam personam esse posse terminum idoneum orationis .

III.

3º. Festum istud novum videri prorsus superfluum ex parte duplicis finis, propter quem institui petitur ; nimirum respondendi amoris Christi, & reparandi injurias ipsi in altaris Sacramento inflictas . Nam ad respondendum amoris Christi, jam alia omnia Christi festa

instituta esse; præsertim festa passionis, vulnerum, coronæ spinæ, clavorum, &c. & hæc abunde sufficere. Ad reparandas autem injurias Christo in Eucharistia illatas, ipsam solemnitatem Corporis Christi, & octavam integram celebrari.

IV.

4°. Gratuito supponi festum Corporis Christi habere pro objecto ipsum Corpus Jesu: ut eo nimirum exemplo aliunde accersatur, si fieri potest, authoritas pro tuendo festo Cordis Jesu. Verum quum solemnitas Corporis Christi celebretur in gratiarum actionem pro beneficio institutionis tanti Sacramenti; dicenda est habere pro objecto hanc ipsam institutionem, potius quam Corpus Jesu: adeoque nullum inde deduci posse firmum argumentum pro festo Cordis. Neque vero plus urgere rationem petitam ex festis Crucis, vulnerum spinæ coronæ, & similibus. 1°. Quia generaliter loquendo, omnia festa habent pro objecto principali Deum ipsum: sunt enim instituta primario & præcipue vel in laudem Dei simpliciter, vel in memoriam & gratiarum actionem beneficiorum ab eo acceptorum. 2°. Quia cum festa hic memorata, uti dictum est, referantur in personam Christi, horum objectum dici debet ipsa persona Christi, potius quam crux, vulnera, aut spinæ: quibus sane rebus ratio objecti, cultus rationabilis vix convenit.

RE-

R E S P O N S I O.

Quanquam his omnibus argumentis contra cultum Cordis Jesu subtilius quam verius factis, solidam responsionem prudens quisque & attentus lector facile eruere possit, ex iis quæ jam hoc libello explicata sunt, ut mox indicabitur; juvabit tamen hoc loco, singulis punctis, solutionem pressius & distinctius adhibere. Itaque:

I.

Ad primum respondemus, negando simpliciter cultum seu festum Cordis Jesu, quicquam habere dissimile ab aliis seu cultibus, seu festis jam in Ecclesia receptis. Dissimilitudo siqua sit, tota est in objecto ab aliis diverso: sed hæc dissimilitudo omnibus festis communis est; habent enim singula, objectum proprium ab aliis diversum, & necessario dissimile. Aliam autem diversitatem aut dissimilitudinem in modo ac ratione cultus, quæ sola culpanda esse potest, nullam prorsus in hoc cultu Cordis Jesu agnoscimus. Id vero quod in probationem adducitur, scilicet nullum aliud festum partis integralis in supposito vivente ab Ecclesia celebrari, mera est allucinatio: celebratur enim festum Corporis & Sanguinis Christi; celebratur festum Pedum, Manuum, Lateris, in festo quinque vulnerum; celebrantur in variis locis alia festa similia; imo celebratur festum Nominis, quod certe videtur res minus idonea ad cultum religiosum terminandum. Præterea si Cor
Chri-

Christi vere ex se, cultu religioso dignum est; & aliunde voluntas Dei, quoad hoc, satis Ecclesiae nota sit (quæ duo toto hoc opusculo demonstrare contendimus) parum certe refert, quod aliud festum simile nondum esset in Ecclesia constitutum; nam ab uno denique initium sumi necesse est: sane quidem quum festum Crucis, aut festum Nominis Jesu, primum instituta sunt, nullum tale festum prius erat.

Jam vero, doctrina illa quæ affertur de festorum resolutione in personam Christi, tametsi veritate nitetur, nihil profus festo Sanctissimi Cordis noceret: facilis enim ac vera esset responsio, festum Cordis Jesu resolvi in festum Christi amantis. Sed nobis modus ille explicandi non videtur esse legitimus: si enim admittatur saltem universaliter, 1^o. Quid dicetur de festo Sanctissimi nominis Jesu? de festo Sudarii, & similibus? Qua ratione festa illa resolventur in personam Christi, melius quam festum Cordis? 2^o. Doctrina illa æque impetit cultum etiam privatum tam Cordis, quam aliarum partium Sacrosancti Corporis Christi: siquidem cultus privatus non aliud certe objectum habet, quam cultus publicus; atque adeo uterque in idem profus resolvi debet. Certo autem constat, cultum privatum diversarum partium Corporis Christi, esse per se sanctum, & a Sanctis universaliter usurpatum. 3^o. Qui hanc doctrinam astruunt videntur aliunde in errore versari: dum enim contendunt, festum Crucis v. g. resolvi in Christum crucifixum, innuere volunt objectum festi Crucis, nullo modo esse ipsam Crucem; sed

sed solam personam Christi; adeo ut ipsi Cruci omnem auferant rationem objecti ejusdem festi: quod certe errore non caret, ut paulo post videbitur. Hanc autem illorum esse mentem, hinc patet, quia finis ab ipsis in his objectionibus intentus, plane est, ut persuadeant Cor Jesu non esse objectum idoneum ad terminandum cultum fidelium, neque posse ab Ecclesia in ejus honorem festum congruenter institui. Quum autem valde se premi sentiant argumento desumpto ex festo tum Crucis, tum vulnerum, ac similibus, propter rationum parilitatem; neque vis hujus argumenti infringi ullo modo queat, quandiu ipsi Cruci, aut vulneribus ratio idonei objecti cultus religiosi constabit; ut hanc a se molestiam depellerent, adinvenierunt modum illum, ut dicerent festum Crucis esse festum Christi crucifixi. Sed nos sic urgebimus. Quum dicitis festum Crucis esse festum Christi crucifixi, vel vultis, objectum ejusmodi festi esse Christum solum, vel Christum simul cum Cruce. Primum sine errore dici non potest, ut patebit attendenti, & ex sequentibus constabit. Si secundum; ergo jam Crux ipsa habet rationem objecti indivise cum Christo; & redit vis argumenti pro Corde Jesu, de quo illud ipsum pari ratione dicemus. 4^o. Fatemur ultro omnia festa ad Christum pertinentia, resolvi debere in personam Christi; sed non illa resolutione vana, ac mere vocali in objectione proposita, verum alia magis reali, nimirum quatenus persona Christi est principium, ratio, & finis omnis religiosi cultus, rebus Christo conjun-

M

ctis

ctis delati. Nam Crux v. g. colitur & adoratur ea præcise ratione, quia Crux est Christi conjuncta cum Christo, sanctificata contactu personæ Christi, resperfa sanguine Christi. &c. Relatio autem illa ad personam Christi, nequaquam impedit, quominus cultus vere & immediate deferatur Cruci ipsi; quæ doctrina omnium Theologorum esse videtur: ergo idem profus dicendum de Corde Christi.

II.

Ad secundum: In festo Cordis Jesu instituendo, aut celebrando, nullum plane modum observari volumus diversum ab illo, quem Ecclesia observat in festis supra nominatis; sive in officio divino ordinando, seu in Missa propria, aliisque piis ceremoniis huc pertinentibus. Ansa autem vituperandi quæ sumitur ex praxi, in qua formulæ orationum diriguntur ad Cor Jesu, vana est. Caret enim hic orandi modus omni reprehensione: 1º. Quia privatim adhibetur estque omnino voluntarius ac liber, & adhibetur in aliis pietatis exercitiis: cuique certe in ea re affectum suum sequi licet. 2º. Quum Cor Jesu animæ personæque Christi intime & indissolubiler conjunctum sit, sane oratio quæ ad ipsum Cor dirigitur, eodem tempore, eodemque actu, necessario dirigitur ad ipsam animam & personam indivise; ut supra, l. 1. c. 4. explicatum est: adeoque hic orandi modus nequaquam videri potest, hominibus saltem attentis, contra rerum naturam, aut rectam rationem. Quod autem
oran-

orando, non persona Christi, sed Cor ipsum appelletur, invocetur, laudetur, id fit piissime, ex affectu erga ipsum Cor: quem affectum Christo esse gratissimum ex variis Sanctorum testimoniis ac revelationibus a nobis allatis & afferendis liquido constat. Certe Ecclesia ipsa orationes & laudes publico ac solemni cultu dirigit ad Christi Crucem, quamvis de se materialem & inanimam. *O Crux ave spes unica . . . auge piis justitiam, reisque dona veniam. O Crux splendor cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior universis, salva presentem ceteram, in tuis hodie laudibus congregatam. O Crux venerabilis, que salutem attulisti miseris, quibus te efferam præconiis, quoniam vitam nobis coelitem preparasti. Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis. Hæc est arbor dignissima in paradisi medio situata. Supra omnia ligna cedrorum tu sola excelsior. Crux præcellenti decore fulgida, &c.* Si ergo ab Ecclesia univèrsa ejusmodi orationes, laudes & præconia ad Crucem ipsam materialem & inanimam diriguntur; quanto magis hic orandi & laudandi modus conveniet Cordi Christi? Quæ enim comparatio Crucem inter & Cor Jesu?

*In offic. div.
festi exalt.
S. Crucis.*

III.

Ad tertium: Ubi noster hic cultus superfluitatis arguebatur; respondemus sic: 1^o. Nullum pietatis officium per se sanctum, ac idoneum ad amorem Christi in fidelium cordibus excitandum, & inflammandum,

haberi potest superfluum: Tale autem esse officium erga Cor Jesu ex toto hocce libello constare confidimus. 2^o. Habendum præ oculis, hîc agi præcipue de Corde Jesu, in cujus honorem festum instituendum est: nullum autem simile festum habetur adhuc in Ecclesia; ergo istud supervacuum non est. 3^o. Finis duplex hujus pii officii proprius, nimirum respondendi amor Christi, & reparandi injurias ei in Sacramento inflictas, considerari debet ut ratio peculiaris colendi Cordis divinissimi; nimirum quatenus respicitur, ut est amore ardentissimum, simulque ob ingratum hominum animum afflictissimum: quemadmodum fuse c. 4. l. 1. explicatum est. Finis autem ille, sic contractus ad Cor Jesu procul dubio non reperitur in aliis festis atque ita non est superfluus. 4^o. Objectum proximum festorum in objectione designatorum, videlicet passionis, vulnerum, coronæ, clavorum, &c. non est proprie amor Christi, sed dolores. In festo autem Cordis Jesu, amor quo Cor illud sanctissimum ardet est objectum proximum festi, indivisim cum Corde ipso; adeo ut affirmari vere possit amorem Christi erga homines, in hoc festo propriissime ac immediate attingi; quod sane ad festi hujus commendationem magna consideratione dignum est. 5^o. Institutio festi Crucis, aut Passionis Christi, nihil obstat quominus postea instituerentur alia festa in objectione appellata: cur igitur hæc ipsa obstat juste queant, institutioni festi Cordis Jesu longe excellentioris. 6^o. Certum videtur, finem saltem præcipuum institutionis festi Corporis Christi

Chri-

Christi nunquam fuisse, ut injuriæ ei in Sacramento inflictæ reparentur (ut c. 5. l. 1. dictum est) neque vero in eo sine comprehendi ullatenus potuerunt injuriæ illæ, quibus in ipsa festi solemnitate, ac durante tota octava plerumque Christus est expositus: finis autem primarius festi sanctissimi Cordis est hæc ipsa reparatio Cordi amantissimo & afflictissimo exhibenda: ergo festum hoc nostrum ex nullo capite videri potest superfluum.

IV.

Ad quartum: Quæ hîc prolata sunt circa objectum festorum tum Corporis Christi, tum Crucis, tum vulnerum & similibus, paucis Theologis, nisi vehementer fallimur, probari poterunt. Et quidem quod attinet ad festum Corporis Christi, rationes supra adductæ, c. 1. sufficienter ostendunt Corpus Christi verum esse hujus solemnitatis objectum: quod certe vel ex ipso nomine ab Ecclesia solemnitati indito, aperte comprobatur. Vocatur enim hæc solemnitas simpliciter & sine addito, *Festum Corporis Christi*; ergo vere est festum Corporis Christi vel; error & allucinatio est in ipso nomine: quod sine causa urgentissima dicere fas non est, præsertim quum in omnibus aliis festis objectum proprium ex appellatione propria dignoscatur. Neque propterea a ratione objecti ejusdem festi excludi volumus memoriam accepti beneficii, & institutionem Sacramenti: potest enim objectum ejusdem festi esse multiplex. Sed sane nemo negaverit præcipuum

objectum publici cultus in hac celeberrima solemnitate esse ipsum Sacramentum, quod videlicet tanta pompa ac magnificentia adorandum ubique fidelibus proponitur; quodque tantis gaudiis, lætitiis, ac jubilis, in templis & supplicationibus tota Ecclesia prosequitur. Quid est autem aliud hoc Sacramentum quam ipsum Corpus & Sanguis Christi?

Quod addebatur de objecto festi crucis, vulnerum, & similium eidem errori obnoxium videtur; ut patebit ex sequentibus animadversionibus, quas hinc ex doctrina Theologorum adjicimus, ad similes difficultates quæ nasci possunt prævertendas.

Primo: Res quælibet sacra, etiam corporea, materialis, & inanima, maxime vero illæ quæ ad personam Christi pertinent, cultu religioso dignæ sunt; eoque majori, quo Christo sunt conjunctiores: hinc cultus reliquiis Sanctorum, templis ipsis, Cruci Christi, clavis, coronæ spinæ, lanceæ, sudario, & multo magis corpori & sanguini debitus. Hunc autem cultum Deo gratum esse de fide est.

Secundo: De re qualibet sacra, ejusmodi cultu religioso digna, festum peculiare institui ab Ecclesia potest, cujus finis sit cultum illum dictis rebus publice adhibere; eumque in cordibus fidelium excitare, augere, promovere. Inde festa Crucis, Sudarii, spinæ Coronæ &c. ab Ecclesia instituta.

Tertio: Quanquam verissimum sit, Deum finem esse principalem ac primarium omnium festorum, quæ demum omnia ad ejus honorem primario ordinata sunt,

sunt, tanquam authoris omnium bonorum, & universæ sanctitatis, in quem omnis denique cultus ultimo referri debet; tamen hoc non impedit quominus in celebratione festorum alia dentur objecta proxima, immediata & specialia, a quibus ipsa festa denominantur & specificantur. Negari enim non potest quin festa B. Virgini sacra v. g. aut sanctis particularibus, ut Petro, Paulo, habeant pro objecto proximo ipsam B. Virginem, ipsum S. Petrum & S. Paulum, in quorum videlicet memoriam celebrantur. Idem prorsus, atque eadem ratione dicendum est de rebus sacris etiam corporeis ac inanimis, ut Cruce, Sudario, &c.

Quarto: Fines primarii in festorum institutione varii simul esse possunt; ut cultus Dei, gratiarum actio, memoria beneficii alicujus accepti, &c. Verum cum illis finibus universalibus facile jungitur finis proximus, immediatus, & specialis colendi vel sanctum aliquem, vel aliam rem sacram, ut diximus; sunt enim fines illi inter se subordinati.

Quinto: Hinc dicendum omnino est festa instituta in honorem rerum illarum sacrarum etiam corporearum, res illas vere respicere, easque vere pro objecto habere. A qua doctrina si discedatur, jam nomina festis indita falsam habebunt significationem: si enim Crux v. g. non esset objectum verum festi sanctæ Crucis, eo ipso festum Crucis falso dicitur festum Crucis: in errorem inducuntur fideles, ususque ipse Ecclesiæ in celebratione festorum fallacia plenus est. Idem dicendum de festo nominis Jesu, de festo vulnerum, de festo

sto

sto corporis & sanguinis : nimirum objecta propria illorum festorum esse ipsum nomen Jesu , ipsa vulnera , ipsum corpus & sanguinem . Et certe quum de fide fit , res illas dignissimas esse cultu , quid obstare potest , quo minus habeantur pro veris objectis festorum quibus nomen earum inditum est .

Hæc si accommodentur festo Cordis Jesu , apparebit nullam in hujus festi institutione majorem esse posse difficultatem , quam ea quæ esse potuit in institutione aliorum festorum ad personam Christi pertinentium : nihil enim omnino petitur circa hoc festum Cordis , quod aliis commune non sit .

O B J E C T I O VI.

Supereft , ut gravissimæ omnium difficultati ultimo loco faciamus satis : quæ quum diversæ ab aliis , quas hactenus attulimus , speciei sit , solutionem alterius generis , ac difficiliorem requirit : nempe priores illæ ad intellectum pertinent , hæc ad voluntatem ; & si tollatur hæc una , aliæ cessabunt : est enim hæc aliarum quasi radix ac fons . Et quæ tandem illa ? nimirum cultus hic noster plerisque non arridet , non sapit , non placet ; seu id oriatur ex innata quadam repugnancia , ut sunt diversa hominum ingenia , diversa studia , diversæ ideæ : seu ex tentatione ac fraudibus diaboli , quibus viri etiam docti , piique aliquando subjacent : seu demum ex defectu divini luminis , quod Deus non omnibus æque distribuit : ut ut sit , certum est cultum

Cor-

Cordis Jesu plerisque, ut dictum est, non placuisse; nec placere. Hinc contentionum fomes; hinc pronitas ad oppugnandum; hinc mira facilitas ad assentiendum rationibus contrariis etiam levissimis; hinc renixus argumentis faventibus etiam gravissimis; hinc morositas in admittendis responsionibus etiam solidissimis; hinc obstinatio animi in prejudicio semel concepto, retinendo. Certe in illis quibus idem cultus placet, qui eum sequuntur & amant, nihil simile cernitur: non offenduntur, non conqueruntur, non disceptant, nihil obijciunt, objectisque vix commoventur. Adeo verum est præcipuam intelligendi difficultatem non raro in voluntate residere. Verum, hæc quum ita sint, quæ demum ratio quisve modus nobis suppetere potest, hanc difficultatem superandi; quum id efficere divinæ potius videatur esse potestatis, quam humanæ; Dei nempe solius est immutare Cor. Fatendum sane cum istis hominibus, non tam agendum argumentis ad intellectum convincendum factis; quam precibus, aliisque rationibus ad voluntatem flectendam idoneis. Igitur o sores illos cultus Cordis Jesu oramus & obsecramus, ut animum tantisper ad sequentes animadversiones adjicere, earumque momenta coram Deo ponderare velint.

Considerent 1º. Num ad reprobandum cultum quemlibet, præsertim jam a multis receptum & usurpatum, alicujus roboris sit hoc argumentum. Plerisque viris etiam doctis ac piis, non placet, non arridet, non sapit; ergo rejiciendum. Refelli enim, subito potest

N

argu-

argumento prorsus simili. Multis æque piis ac doctis placet, arridet, sapit; ergo retinendum. Sane reprobantium autoritas, approbantium autoritate ita reunditur, ut vim omnem ac pondus prorsus amittat.

2^o. Num viri sapientis fit, ex gustu proprio rem istiusmodi definire velle; quum sensus nostri, in his maxime rebus spiritualibus, atque a divino lumine admodum dependentibus, sint fallacissimi.

3^o. Optime hæc duo stare posse simul, & quod hoc nostrum pietatis officium solidum sit, atque ad veram animi sanctitatem conferat; & quod aliqui tamen eo nec delectentur, nec juventur. Siquidem non una omnibus ad virtutes semita est; non omnes una ratione ad perfectionem aguntur; non omnes æqualiter omnibus exercitiis delectantur, aut juvantur; alius sic, juxta Apostolum, alius autem sic. Varia sunt dona spiritus, varii orationis modi, varii sensus, variae exercitationes, variae praxes; quibus pietas fovetur, ac nutriripotest, ac solet. Quid ergo mirum si in cultu Cordis Jesu, non omnes idem experiantur ac sentiant?

4^o. Quum agitur de rebus ad vitam interiorem ac mysticam pertinentibus, ut hinc fit, vix de illis sanum ferre iudicium eos posse, qui in ea vita exercitati non sunt: neque enim ad hæc discernenda sola sufficit communis scholæ doctrina, nisi accedat peculiare lumen haustum tum ex Patribus, tum ex Theologis mysticis, vitæque spiritualis magistris, tum ex Sanctorum Sanctarumve actis, in quibus rationes illæ modique admirabiles, quibus Spiritus Sanctus selectas animas

ac

ac puritate eximias sibi ac Christo sponso conjungere solet, conspiciuntur; tum denique (quod melius ac desiderabilius) ex certa viarum illarum interiorum experientia. Porro qui hoc divino lumine carent facile decipiuntur, dum res istas supernaturales naturali sensu metiri volunt. Heu quam multa sunt secreta cœlestia, quæ doctos sua sæpe scientia inflatos penitus latent; & humilibus ac simplicibus a Deo revelantur! impletur enim, his quoque diebus, illud Christi Domini oraculum, a viris illis doctis sibi nimium præfidentibus nunquam satis meditandum. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Ea autem quæ ad excellentiam ac divitias divinissimi Cordis Jesu pertinent, in harum rerum numero reponi certo posse, ac debere experientia Sanctorum demonstrat.

5°. Multa superius de Corde Jesu ex variis Sanctis ac Doctoribus attulimus, aliaque non pauca adhuc adjungemus inferius, ex quibus constat Sanctos illos, (inter quos Bernardus & Bonaventura, Gertrudis ac Mechtildis, alique ejusmodi numerantur) constat inquam illos summa reverentia, summo amore, affectuque tenerrimo Sacrosanctum Cor Jesu esse complexos. Porro nefas est credere Sanctos ejusmodi inania verba jactasse; aut illudere voluisse; aut fucum fecisse: sentiebant proculdubio intus in corde, quod exterius tanto cum affectu vocibus exprimebant. Nos miseri (quæ nostra in spiritualibus egestas est) eadem non experimur, quia luce eadem ac gratia non perfundimur.

6°. Denique, Christianos illos cujuscumque ordinis sint qui cultum Cordis Jesu, familiaque pietatis officia contemnenda putant; quique gravioribus, ut sibi videtur, intenti curis, hæc quasi levia suaque attentione parum digna negligunt ac despiciunt, admonemus: nihil hominibus vere christianis videri debere pretiosum aut magnum, nihil æstimatione sua & attentione dignum, præter id quod Deo gratum est; quod ad Dei ac Christi gloriam confert; quod majorem Christi scientiam & amorem ingerere potest. Hoc ipsum divinißimus & amabilißimus Redemptor noster mire expressit, his verbis: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Hoc idem inculcant toties repetitæ in scripturis sacris Spiritus Sancti sententiæ, vanitatem rerum omnium præterquam scientiæ Dei, divina plane vi exprimentes: inter quas, hæc, in præsentia animo occurrit, qua nulla animi christiani contemplatione dignior. *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire & nosse me.* Hæc igitur una vera gloria censenda est, scire & nosse Deum. Hæc una vera vita scire & nosse Christum. Hinc quicquid aptum est ad ingerendam divinam illam scientiam, hoc ipso haberi debet pretiosius, æstimabilius, optabilius, cunctis aliis rebus humanis. Jam vero pietatis exercitia de quibus tractamus ejusmodi sunt, ut ex eorum institutione, necesse sit scientiam & amorem Christi in
ani-

Jerem. 9.
23.

Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire & nosse me. Hæc igitur una vera gloria censenda est, scire & nosse Deum. Hæc una vera vita scire & nosse Christum. Hinc quicquid aptum est ad ingerendam divinam illam scientiam, hoc ipso haberi debet pretiosius, æstimabilius, optabilius, cunctis aliis rebus humanis. Jam vero pietatis exercitia de quibus tractamus ejusmodi sunt, ut ex eorum institutione, necesse sit scientiam & amorem Christi in
ani-

animis efflorescere, Deique gloriam vehementer auge-
 ri: unde patet quo loco in æstimatione fidelium, qui
 vere fideles sunt, hæc eadem institutio reponi debeat.
 Atque ut in re nostra hæreamus, stabilito semel cultu
 Sanctissimi Cordis Jesu qualis hocce libello describi-
 tur, quis æstimare queat quam immensa vis actuum
 præcipuarum virtutum Jesum respicientium, adora-
 tionis, amoris, contritionis, gratiarum, petitionis, &c.
 inde proditura sit? Quis numeret infinita opera pia ad
 hunc eundem cultum pertinentia; templorum aditio-
 nes, voluntarias expiationes, Sacramentorum tum pe-
 nitentiæ tum Eucharistiæ multiplicatas receptiones,
 exercitationes humilitatis, pœnitentiæ, misericordiæ?
 His adde gratiarum abundantiam, ex eodem cultu qua-
 si fonte, tum ad peccatorum conversionem, tum ad
 justorum perfectionem, universæque Ecclesiæ ædifica-
 tionem ac splendorem, divina liberalitate manantium?
 Et hæc quidem, non uno in loco aut civitate aut
 provincia aut regno, sed in omnibus orbis christiani
 partibus; non uno die aut mense aut anno, sed futu-
 ris in perpetuum sæculis duratura. Quid autem æsti-
 matione nostra attentione nostra cura nostra studio
 ac zelo nostro dignum est, si hoc non est? Et tamen re-
 periuntur inter fideles qui hæc frivola suaque attentio-
 ne parum digna judicent; qui bonis hujusmodi spiri-
 tualibus, divinis, æternis, Dei ac Christi gloriam dire-
 cte ac proxime spectantibus, alia nescio quæ bona, hu-
 mana, caduca, misera præferunt, suaque attentione di-
 gniora putant. O cæcitas humanæ mentis! O pu-

dor, O probrum cordis in schola Christi nutriti & educati!

CAPUT III.

Excellentia cultus Cordis Jesu ex fine excellentissimo declaratur.

DIximus superius excellentiam cujuslibet pietatis officii mensurari debere, Primum, ex rei excellentia quæ colenda proponitur: & hoc quidem punctum duplici superiori capite absolutum est. Tum ex excellentia finis cuiuslibet officio propositi: est enim in confesso apud omnes eo nobiliorem & excellentiorem actionem necessario esse, quo finis agentis nobilior & excellentior est. Jam vero finis cultui nostro propositus, hic est præcipuus, quemadmodum lib. I. explicatum est; ut injuriæ amantissimo Cordi ab hominibus ingratis inflictæ, maxime in altaris mysterio, eluantur, farciantur, compensentur. Hujus porro finis excellentia quanta sit, ut melius intelligi possit, duplex omnino adhibenda consideratio est. Altera de amore Jesu erga homines; altera de hominum erga Jesum ingrato animo, maxime in Eucharistiæ sacramento. Sic enim amorem immensum Cordis Jesu cum incredibilem hominum duritie comparando, apparebit & quam justa sit amantissimi Redemptoris querela; & quam æqua postulatio ut violatus ejus honor reparetur; & denique quam sancta & homine christiano digna exhibita